26.

A Sua Eminenza Revma
Card C. L. Morichini
Arcivescovo di Bologna

omaggio dello scrivente.

EPISTOLA PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

ECCLESIÆ METROPOLITANÆ SENENSIS



PISTORII
IN EPISCOP. TYP. HEREDUM BRACALIUM

—

1871.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/epistolapastoral00cath

HENRICUS BINDI

DEI ET SANCTÆ APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS

ECCLESIÆ METROPOLITANÆ SENENSIS

SS. DOMINI NOSTRI

PII DIVINA PROVIDENTIA PP. IX

PRÆLATUS DOMESTICUS

ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

CLERO ET POPULO UNIVERSO

SUÆ IN CHRISTO DILECTISSIMÆ ARCHIDIŒCESIS

gratiam, pacem et salutem a Domino.

I.

Quanta de vitae suae cursu meditatur sibique promittit homo, quae, sic Deo in melius disponente, nunquam ei succedunt ex sententia! Quinimmo interdum, dum *adhuc orditur* securus, se subito abreptum eo sentit, quo minime omnino suspicabatur! Quod cum aliâs saepius, tum vero his potissimum diebus nobis usuvenit. Quam enim evangelicam vineam Paterfamilias nobis, licet immeritis, locaverat, summopere eam diligebamus (aluerat nempe nos a teneris annis amantissime, promoverat, ornaverat), in eamque, si quid virium in nobis est, quas scimus quam sint exiguae, has omnes cum gaudio conferebamus, adnitentes in

Domino, maxima beneficia ab ipsa accepta, eidem pro virili parte rependere, postquam aucti fuimus hoc tam sublimi munere episcopali, a quo, mirum! quam longius abfuerimus, non dicam tantum merito, sed vel ipsa quidem cogitatione. Quo in munere licet neque multa neque praeclara ob nostram infirmitatem praestiterimus, tamen non parum in eo desudavimus; et benignitate coeli et soli factum est, ut non sine quadam perceptione fructuum hoc esset, et non sine spe copiae laetioris in posterum. Ita gratias Deo agentes, inter ministerii nostri officia, quieti (ut sunt tempora) detinebamur, nil aliud nobis hic expetentes, nisi ut altrix haec vinea nostra, quae vicissim nunc a nobis ex divino mandato mystice alebatur, tandem extremo tempore nostra in pace Christi defatigata ossa tegeret, eaque piis lacrimis precibusque carorum honestarentur. Sed ô vanas hominum cogitationes! Dum id minus, temporibus, metui posse videbatur, sanctissimo augustissimoque imperio intercepti sumus: — « Ohe! operarî Christi! In Christi nomine tibi vasa colligenda; aliô demigrandum; alia tibi vinea colenda est! Perge! » — Stupore obriguit (fatemur enim) infirmitas nostra aegerrime ferens se a peramata vinea, ab amatis amantibusque fratribus et filiis divelli, seque longe imparem novo oneri sentiens. Plura, neque ea nullius ponderis, de hac re praetendimus, et quantum fas erat obsistere Patri summo et in aliis omnibus indulgentissimo, obstitimus, et obsecrati sumus cum lacrimis. Vanum! Obtemperandum erat, et est obtemperatum! Caetera Deus.

II.

Hinc factum est, Senenses optimi, ut perinsigni Ecclesiae vestrae pastorali munere animarum vestrarum, Deo volente, praeficeremur: vosque nunc primum ut fratres

et filios alloquimur et peramanter amplectimur, quos ab hinc paucis annis, neque brevi temporis spatio, hospitales, humanissimos, liberalesque cives nacti fuimus. Non enim ignoti ad ignotos accedimus. Inter vos quasi vestrates viximus, et inclita vestra patria, nobis altera patria fuit. Nam non solum nos studiorum et disciplinae in sacro isthoc ephebeo moderatores comiter excepistis, sed vel ampliore extulistis honore, quum inter Patres metropolitanae ecclesiae vestris suffragiis cooptastis. O qui collegae, qui cooperatores, qui alumni in utroque munere nobis obvenere! O quam probe tenuitas nostra fulta est eorum gratia! His itaque maximis beneficiis praesentes cumulabamur, neque eorumdem gratissimam memoriam absentes unquam amisimus.

Et ecce quinto vix anno quam in patriam infulati reversi sumus, ad vos revocamur! — Cur adeo invitus? — Ne, quaeso, offendamini: inviti quidem accedimus eadem ipsa ratione, qua invitis abscedendum istinc nobis fuit, quamvis in patriam reversuris. Relaxanda enim erant nobis gratissima vincula consuetudinis et necessitudinis, quae nos cum discipulis, alumnis, amicis, sociis vel officii vel dignitatis devinxerant, et quae saepius arctiora sunt omni cognatione. Illud praeterea erat interrumpendum, quod cum amore incohatum, non sine spe provehi videbatur. Neque altius conspectiusque sacerdotium, quo in patriam revocabamur, ulli fuit levamini huic amarissimo discidio, sed contra in caussa erat cur gravius sentiretur, et proponeretur periculosius nostra isthaec infirmitas. Quae omnia et alia his graviora, quae item in praesenti rerum articulo obveniunt, nonne quamdam excusationem afferunt nostrae aegritudini? Nonne plura arctioraque nunc sunt abrumpenda vincula? Nonne gravius formidolosiusque onus suscipiendum? Nonne sanctae Christi Ecclesiae iniquissima sunt tempora? Quomodo nos expediemus miselli?

Verumenimvero nil horum utique pensandum est, nil de his similibusque est ambigendum, quum quis aliquid est aggressurus, quod ex debito aggreditur obedientiae. Mittimus itaque haec omnia, nosque, utut sumus, vobis sistimus, incliti Senenses, cum fiducia, cum cordis latitudine et, si licet, quidem cum gaudio, in Eo freti, qui nos apertissime misit. *Nolite solliciti esse,* ait ipse iam tum: *Nolite timere.... Ecce vobiscum sum.... Scit enim Pater vester quid opus est vobis.* — Et hoc ipsum verbum, in quo coelitus aperitur et nitet cor et oculus paternae in omnes Providentiae, sed in eos potissimum, quos in ministerium suum Deus mittit, nunquam neque obsolevit neque obsolescet: et in hujusce verbi fide, non securi quidem et otiosi, quod Deus avertat, sed tuti et animosi, quidquid saeculum moliatur, acquiescimus.

III.

Salvos itaque vos esse iubeo, Senenses, ex penitissimo corde! vosque et perillustrem civitatem et ditissimam uberemque provinciam vestram, imprimisque vestram Ecclesiam antiquitus constitutam, et deinceps summa gloria cumulatam in charitate Christi suscipio.

Laeta Senensium civitas, antiquitate generis, gloria maiorum, omnique laude ingenii nobilissima: cujus moenia supra dulces nitidissimosque colles, salubri coelo, varioque amoenoque undequaque prospectu emicant, aedificiis instructa publicis privatisque magnificentissimis, sacris praecipue, quos inter, Ædes illa maxima Mariana, miraculum artium perhibetur, et est. Quae quidem ingenuae artes Senis, ex eo ipso tempore, quo per Italiam primitus restitui coepere, ad nostram usque memoriam, sua quasi facie et ingenio invaluere, maxime eae quae proprio no-

mine pulchrae nominantur. Memorare quid attinet, quos omnes probe norunt, Guidonem, Duccium, Memmios, et qui in prisca illa aetate primas facile tulere, Laurentii filios Ambrosium et Petrum? aetate vero insequenti, artibus floridissima, Pachiarottum, Bazzium, et maximo ingenio et arte Baltassarrem illum Peruzzium, qui quod pingendo Santius, idem aedificando fuit? quid demum Dominicum Beccafumium, qui, inter caeteras laudes, artem monochromatum perfecit, eaque mira monochromata perbelle pinxit ex lapide texto, quae in pavimento supra laudatae Ædis maximae Marianae aegre, dum inhiant animi, pedibus premuntur?

Quid de tot bonarum artium cultoribus, quorum nulla unquam aetas literarum vestrarum dives non fuit, quique eloquentia, poesi, philosophia, omnigenaque eruditione inclaruere? Praecellit enim gens vestra acumine simul et festivitate ingenii, atque praecipua laude linguae. Ab ineunte vero XIV saeculo nomen vestrum extulit Studium publicum, in quo multa et praeclara lumina scientiae emicuere. Otiosum ducimus vestros literatos homines recensere, qui multa et varia apte scienterque scripserunt. Quem enim adeo in literis hospitem reperias, qui ignoret vel Picolomineos Alexandrum et Franciscum, graves illos elegantissimosque philosophos, quos sequuti sunt et Franciscus Patritius episcopus Cajetanus, et ille, inter recentiores, qui fuit in oeconomicis disciplinis facile princeps, Sallustius Bandinius? vel eos, qui medicinam praeclare fecere, Mattiolium et Mascannium, maxima nomina etiam apud externos? vel in literis politioribus et eruditione, Aeneam Silvium, Celsum Cittadinium, Ludovicum Sergardium, qui, personatus Q. Sectani nomine, strigili venosina perfricuit et « italo aceto » (Horat. i. Sat. 7. 32.) perfudit cutem suorum hominum; et cerebrosum illud festivissimumque caput, Hieronymum Gil-

lium? Sed reticere non decet eos omnino qui res divinas literis exornarunt, ut Sistus senensis, et si licet, Gratianus: sed duo tantum nomina in primis memorasse sat erit, Bernardinum nempe et Catharinam: ille orator ferventissima charitate exaestuans; morum per Italiam restitutor, quae concertantibus factionum partibus misere divexabatur; scriptor idem in mysticis cum priscis patribus comparandus: haec autem ex rudi et populari femella, divino instinctu et virtute, illa evasit fortissima et nobilissima Virgo, quae res civiles et sacras sui aevi consilio et prudentia viriliter moderata est; et hujusmodi monumenta coelestis sapientiae scriptis tradita reliquit, ut merito ambigas, utrum gravitate sententiarum, an luminibus orationis et nitore linguae magis praecellere videantur. Iam vero abs re videri poterit, si vestrae reipublicae fortia facta vel raptim hic attingere aggrediamur. Ceterum memoria antiquae laudis et artis uno verbo, cum Angelio in *Syriade,* potest colligi:

« Sena Camoenarum cultrix, et Martis alumna. »

IV.

Solidae laudes veraque gloria majorum, fratres et filii carissimi, ex sapientia et religione profluxere; duo hi cardines in quibus omnis humana actio et perfectio firmatur et volvitur; et quos extra, quidquid movetur corruit; quidquid struitur vano rumore dissipatur. Sapientia, inquam, qua Verum aperitur; religio autem qua Verum tenetur et colitur. « Naturam hominis hanc Deus esse voluit (inquit Lactantius, *De fals. rel.*) ut duarum rerum cupidus et appetens esset; religionis et sapientiae. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiunt, omissa sapientia; aut sapientiae soli student, omissa religione: cum alterum sine altero esse non possit verum. Cadunt ergo ad

multiplices religiones, sed ideo falsas, quia sapientiam reliquerunt quae illos docere poterat, deos multos esse non posse; aut student sapientiae, sed ideo falsae, quia religionem summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiam potuit erudire. In his duobus, religione et sapientia, inseparabiliter connexis, et officium hominis et veritas omnis inclusa est. »

Quod enim in omni memoria historiae et vitae vestrae civilis reperitur vere magnum, vere nobile, et cum gloria memorandum, id duplici hoc afflatu et motum et perfectum est. Recordamini facta, leges, institutiones; intueminor monumenta; homines aestimate. Quod si ex his apud vos quorumdam esset abolenda memoria, profecto ii sunt, qui « studuerunt sapientiae, sed ideo falsae, quia religionem summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiam potuit erudire ». Rara quidem horumce hominum nomina (vix unum aut alterum) in vestris annalibus, sed ea famosa et probrosa, quae hic ut male ominata praeterimus. Sed quot quantisque illustribus sanctitate viris ea non opprimuntur, et quodammodo delentur? Quae virtutis sublimia exempla non edidere, quae non praestiterunt emolumenta morum beatus ille eremita Galganus, brevi tempore, ex perditissimo, ad summam sanctitatem evectus, quoniam *immutavit ei Deus cor aliud* (I. Reg. x, 9)? Cujus immutationis miracula item protulere beatus Iacobus, ab immiti poenitentia, cognomento Muratus: et beatus Francus, cui, inter illius scelera, lumen corporis Deus ademit, ut, *qui ambulabat in tenebris videret lucem* (Isaias ix, 2); *candorem,* scilicet, *lucis aeternae* (Sap. vii, 26), in qua, per inauditam vitae asperitatem, *processit et crevit usque ad perfectum diem* (Prov. iv, 18). Neque minus apud vos eximia sanctitate claruere Petrus, qui a pectinibus, quorum artificio vitam tolerabat, nomen accepit, nobilitavit:

et Andreas Galleranius, quem armis potentem potentior *virtus ex alto* (Luc. 24, 49) *sustulit in montem magnum et altum, et ostendit civitatem sanctam Ierusalem.... habentem claritatem Dei* (Apoc. 21, 10). Quid de Francisco Patritio, et Ioanne Columbinio? Nonne innumeros *in odorem unguentorum* (Cant. I, 3.) nempe suavissimarum virtutum traxere, quae veluti quodam salubri suffimento ea ferrea saecula permulsere? Qui vero laudem sanctitatis cum insigni doctrina et acri judicio atque alacritate in rebus gerendis cumularunt, quot quantique extitere! Quorum in numero Ambrosius Sansedonius, et Bruno ille, qui Berengarium adeo perstrinxit, ut haereticam scabiem exueret, et a sententia (quod quasi inauditum de homine haeretico) recederet. Bernardinum autem, et Catharinam, duo lumina, non senensis tantum, sed universalis Ecclesiae, malumus tacendo praeterire, ne parce et ieiune dicendo imminuere videamur. — Quot autem quove nobili providoque consilio constituta sunt a majoribus vestris publica patrimonia charitatis, quibus et studia alerentur, et electiores christianae virtutes perficerentur, et egentes sublevarentur, et curarentur infirmi! Inter etruscas civitates nulla omnino alia est harumce institutionum neque ditior neque splendidior. Isthaec vera gloria, Senenses; hac ipsa vestrum est nobile nomen per saecula; istam hanc aemulamini, aut quidem certe veneratione tuemini, quam saeculum insipiens tumidumque, propterea quia cuncta miscendo foedat evertitque, maledictis insectatur, et funditus tollere contendit.

V.

Omnia haec quae levi calamo attigimus incrementa tum in literis tum in artibus tum denique in omni exqui-

sıtissimo cultu ingenii et morum, fatendum est accepta debere referri Religioni sanctissimae Christi Iesu, quae in animis patrum vestrorum alte insedit, incenditque ad decora quaeque et grandia, quae hujusce memoriae homines, etsi tantos sibi spiritus tantamque arrogantiam sumant, ne mente quidem assequi, nedum aliquid illorum simile proferre valeant. Religio autem si adeo animos imbuit atque movit, cuinam, quaeso, tribuendum nisi vestrae perinsigni Ecclesiae, quae ab ipsis pene apostolorum temporibus (si vera fama est) orta, postquam (ne dicam a Martiali Petri apostoli discipulo,) ab Ansano romano cive et Christi martyre procul dubio coepit institui, integram semper Evangelii doctrinam propagavit, et in animis ad pietatem fovit. Eos enim sibi pastores assequuta est, qui Dei spiritu afflati et Dei sapientia affluentes, tales sibi sacros alumnos et Christi operarios aluere, ut ex his Ecclesia vestra plures alias ecclesias commode resperserit: unde nomen Cleri senensis grande aliquid insonuit, non in scholis disciplinarum tantum, non in conspicuis quibuscumque sacerdotiis, non in episcopalibus sedibus, non in sacro purpuratorum patrum senatu, verum etiam in ipsa summa Petri sede, quam Pontifices vel ad novem numero, et praeclarissimi, illustrarunt, Alexander III, Pius II, Pius III, Marcellus II, Paulus V, Alexander VII, caeterique, qui si minus vestri ex urbe, vestri tamen ex ditione, Ioannes I, Bonifacius VI, et, omnium maximus, Gregorius VII efflo-ruere.

Et quoniam supra memoravimus sacrorum antistites, qui longo ordine ab ultima antiquitate ad nostram memoriam senensem Ecclesiam rexere, non aequum sane foret neque bonum, si nobis ob oculos non poneremus eos qui maxima doctrina, sanctitate, rebusque bene gestis caeteris praestitere. Quos inter jure merito recensendus Gualfredus, vir

in primis doctus et disertus, qui praeter plures de sacra eruditione lucubrationes, poesim quoque attigit, et, ut erant tempora, non inficete: eoque concitore, Senenses, duce Bonifacio Griccio, pro Christi sepulchro vindicando pia arma, quae ipse cecinit, tulere, remque strenue gesserunt in oppugnatione Antiochiae, cuius moenia primus ascensu superavit Salimbenius vester. Nec tacendus nobis es, Bonfili! Hic enim, ut Clerus *forma gregis* vere esset, multa fecit, legesque tulit saluberrimas: Albigensium haeresim e Gallia insidiose irrepentem propulsavit: in Turcas vestra arma commovit: ecclesiam dicavit Ilicetani coenobii, quod ad annos plures perfugium silens heremiticae asperitatis et sanctitatis, postremo (ut sunt humana omnia), relaxata disciplina, apricationibus autumnalibus inservit sacri Seminarii, quarum non sine delectatione reminiscimur. Hunc eumdem beatissimum recessum identidem adamasti, qui tui memoriam servat, Aenea Silvî, vir rerum agendarum peritissime, historiarum egregie cordatus scriptor et elegans, antistes tuorum civium solers, qui demum, nomine reque Pius, ad summi pontificatus apicem evectus, ecclesiam universalem sapienti imperio rexisti. Non vacat, neque fortasse expedit, plurimos commemorare, quos dedit patriae sacros antistites gens nobilissima Picolominea, itemque Bandinia et Malevoltia, qui omnes optime meriti sunt de ecclesia. Franciscus Tarusius vir fuit plane apostolicus, quem sanctus Philippus Nerius carissimum habuit. Alexander cardinalis Zondadarius in maxima temporum rerumque difficultate, neque sibi, neque muneri suo pastorali unquam defuit. Mancinius, elegans, ornatum, vividumque ingenium, morum sanctitate et doctrina praecelluit. Quid de te, Ferdinande Baldanzi? Veremur equidem ne tua laus suspecta esse videatur in ore nostro, quos adeo promovisti, qui te adeo dileximus et reveriti sumus. Ecquisnam, anima sua-

vissima, credere tunc temporis potuit, nos, in ingratum otium ab iniquitate temporum deiectos, et a te amantissime in perfugium accitos et exceptos, si quid in instituendis sacris tironibus possemus ; quis credere potuit, haud multo interiecto tempore, post tui iacturam amarissimam, in locum tuum fore successuros ? Neque tu profecto, neque nos, neque quisquam alius, qui nos noverit, tam inopinam rem haud sibi fingere poterat vel comminisci. Nunc vero, qui hoc vides ab immortali mansione (ut credere dignum) ubi Veritate incommutabili beate frueris, hoc te deprecamur, ut tantum auxilii a Deo nobis impetres, quantum necessitas postulat, ne tam splendida Sedes, ne tam illustris sanctorum antistitum series, a tam rudi ineptoque pastore tandem commaculetur.

VI.

Nam omnis spes in uno Deo rei bene gerendae nobis reposita est. Quid enim opis e penu nostro haurire possemus ? Quid, nisi quod deterius est, et omni studio explodendum ? Scilicet exhauriendum nobis est hoc vas immundum, ut impleat Deus copia laetissima suorum charismatum. Hoc opus nostrum, hic labor, quem, Deo iuvante, non detrectabimus. Probe novimus quae nobis imitanda exempla decessores nostri reliquere : novimus et officia pastorum in quibus adimplendis iidem ipsi fideliter versati sunt, et quae Pastor aeternus seipsum exemplar praebens et illis et nobis observanda districto iudicio commisit. O quae, et quanta, et quam infirmitati nostrae formidolosa ! *Ego sum Pastor bonus,* ait ipse. Quî bonus ? Ita prorsus ut *animam suam* dederit *pro ovibus suis* (Ioann. x, 11). Ipse *episcopus animarum nostrarum.* Quomodonam ? Eramus *sicut oves errantes,* et ipse ad caulam suam laboriose

collegit (I. Petr. II) : *in brachio suo* congregavit *agnos, et in sinu suo* levavit; *foetas oves ipse* portavit (Isaias, IV, 11.); *in pascuis uberrimis* pavit *eas* (Ezech. XXXIV. 14): *quod perierat* requisivit ; *quod abiectum erat* reduxit ; *quod infirmum fuerat* consolidavit, *et quod pingue et forte* custodivit (Ezech. *ibid.* V. 16). Deinde *dedit quosdam quidem apostolos . . . alios autem pastores et doctores* (Ephes. IV, 11), quibus ipse mandavit : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, ita et vos faciatis* (Ioann. XIII, 15). Quid tum Apostoli, quorum, si minus in apostolatu, at quidem certe in pastorali munere, successores sumus? Audiatur Paulus : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (Galat. IV, 19). Quomodonam efficacius uno verbo significari poterant sui apostolatus anxietates, labores, angustiae, et amor ille patiens, quo in salutem animarum ferebatur ? Et addit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (II Cor. XI, 2) ? Tali modo, ut ipse Christus, qui *peccata multorum tulit*, transfert in sese infirmitates suorum amantissimus apostolus. Quid plura ? Eo procedit, ut pro fratribus suis, siquidem uniantur Christo, paratus sit vel a Christo separari, nempe a gloria, qua fruuntur electi. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (Rom. IX, 3). Nil supra !

En, fratres et filii mei carissimi, en tandem quod vobis debetur, et quod juremerito a nobis reposcere poteritis. Et ô nos in aeternum miseri, si jus vestrum vobis non reddatur ! Perstringunt enim aures, et cor vehementer angunt minae illae et vae, quas per Ezechielem prophetam Deus iusta ira commotus in pastores infideles pascentes semetipsos intorquet! Procul est (fatemur enim), nunc temporis, a pastoribus periculum semetipsos pascendi praeter jus et fas, qui inopes sumus et nudi: verumtamen

quam multa adhuc sunt, ignota saeculo, quae nos in discrimen adducunt! Homines sumus, et angelicum munus nobis est demandatum! Quid non cavendum? Primum ne difficultatibus exterriti remisse caussam Christi agamus; ne dum impietas effrons saeva impotens omnia movet, omnia miscet, vitiat omnia, vecordes in metum et inertiam conjiciamur. Praeterea ne dignitate elati dominemur in cleris, et simul ne nimium demissi dignitatem deprimamus. *Facti sumus parvuli in medio vestrum,* ait Paulus (I. Thess. II. 7): sed subdit quoque: *Quamdiu ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo* (Rom. XI 13.). Summopere curandum praeterea, ne, dum necessariis negotiis occupamur et distinemur, studium pietatis frigescat, quoniam (ut Gregorius Magnus pulchre ait), « Nisi prius in se faces ardeant, alios non succendunt (Lib. V. Ep. 43). » Ad haec videndum maxime ne in singulorum officiis exigendis, erratisque puniendis, nimis dure vel nimio impetu feramur, simulque ne nimis remissi et quasi conniventes simus. « Impunitas enim ausum parit, ausus excessum » ait Bernardus *(de Consid. IV. 21.)* Ne plura persequamur, illud firmum sit, quod omnia complectitur, consulit omnibus, nempe: Charitas Christi dummodo nos urgeat, iter nobis erit expeditum, difficultas nulla deterrere poterit. Pauli verba exponens de charitate, haec suavissima, pro more suo, profert Bernardus: » Charitas patiens est, benigna est: patiens cum dissimulat expectat sustinet delinquentem: benigna est quando trahit, adducit, et converti facit ab errore. Charitas benigna, etiam quos tolerat, amat, et amat ardenter. Flet quippe charitas, sed ex amore, non ex moerore; flet ex desiderio, flet cum flentibus. O bona mater charitas, quae sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos! Cum te arguit,

mitis est: cum tibi blanditur, simplex est; pie solet saevire. sine dolo mulcere; patienter novit irasci, humiliter indignari; laesa non provocat, spreta te revocat (Epist. 2.) » — O Charitas! o charitatis essentia Christe! o exemplar! quod quidem si in nosmet referre adnitamur, quid in ministerio nostro poterit desiderari? Patrem et Pastorem aeternum, fratres et filii carissimi, adprecamini, ut pastor vester adeo infirmus hoc tandem spiritu erigatur et vigeat bono vestro et suo, atque in Dei laudem et gloriam.

VII.

Et hoc ipsum erit insigne charitatis adiumentum, quod in primis a vobis expeto, o quotquot estis omnes, qui in ministerio sancto Dei ad aram operamini, et quos universos amplector in Domino.

Sed ante alios, ut par est, saluto vos *in osculo sancto,* Patres metropolitanae Ecclesiae, quorum est non precibus tantum, sed et consilio nobis adesse, ut senatus noster. Multum enim tribuo dignitati vestrae et virtuti, multumque a vobis mihi repromitto, qui diu versatus inter vos ut frater et consors dignitatis, amantissimos expertus sum, et a vobis per illud tempus addidici, et nunc maxime addiscere vehementer opto, quomodo qui dignitate praecellit, debeat omni laude virtutum caeteros anteire: quae praestantia ubi desit, nil aliud est in amplissimo gradu collocari, quam animi vitium conspectius attolli, quod facile latere posse videbatur; nisi qui ita affecti sunt voluissent *in stolis ambulare et salutari in foro* (Marc. xii. 8.). Quod mecum ipse reputans, qui adeo extollor miser, deficerem, nisi satis praesidii ex vestra probitate et sapientia mihi posset accedere; et, spero equidem, accedet. Quae spes et ad vos, quos aeque revereor, pertinet, ordo canonico-

rum insignis collegiatae Ecclesiae. Magni interest et ad decus istius nobilissimi templi, quod est almae Deiparae sacrum, et ad laudem civitatis, et ad populi fidelis emolumentum, ut inde pietas et sapientia effulgeat, ubi praecipuus honore clerus excipitur.

Sed maxime nobis estis observandi colendique, quibus christiana plebs concredita est, venerandi cooperatores nostri, Curiones dilectissimi, nostra et brachia et os et cor et corona, quos totis visceribus amplexu excipere laetamur. Verbis ipsis sancti Gregorii Magni vos alloquar: « Studeat cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendi, qui hiemales noctes imbribus geluque constricti ducunt per vigilias, ne vel una ovis, et forte non utilis, pereat. Quam si insidiator ore mordaci momorderit, quomodo satagunt, quibus cordis anhelant aestibus, in quas voces (ut eruant captum pecus) angustia stimulante prosiliunt, ne a domino gregis exigatur quidquid per incuriam perierit! Sic ergo nos vocibus divinorum eloquiorum periclitantes oves ad gregem reducamus *(Lib. II. Epist. 8)* ». Quod enim plurimi interest, et est, si unquam, hoc maxime tempore necessarium, illud est ut deditissima opera ac sedulo studio, ad institutionem catecheticam animum attendatis. Quoniam si adeo jacet relligio; si mores adeo infirmi, ne dicam perditi; si errorum et corruptionum omnium semina adeo facilem nanciscuntur humum, ut statim foecundentur et coalescant, hoc demum in causa est, nempe supina et pene generalis doctrinae christianae ignorantia, qua miserrime laborant ii quoque, qui non sunt omnino ignobile vulgus. *Filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis* sunt; et nil non movent, nil non audent, ut inconsulta sapientia omnia invadant et pervadant, corrumpant omnia: praesertim vero iuventutem aucupant, eamque in insidiis excipiunt dulcibus venenis doctrinae, quos diluunt

per tot tristia vascula ephemeridum, libellorum, scriptiuncularum, quot numquam visa sunt. Impressis chartis, quodam quasi diluvio, obruimur, in quibus ratio, fides, conscientia jamdiu naufragium fecere. Quod si clerus pari saltem operositate non obsistat, nil sanum, nil intactum reliquum erit. Christus tot maledictis et opprobriis per id tempus lacessitus, et e civili consortio exturbatus, non solum parochos, sed quoscumque sacerdotes urget, ut alacriori studio verbum salutis et veritatis lumen, quod ipse est, pandant populo, et lac coelestis disciplinae porrigant praesertim tenerae aetati, quae hoc uno nutrimento formari et servari potest: parentibus autem cujuscumque ordinis mala a Deo minitentur, qui filios suos ad Ecclesiam, ut legitimo magisterio instituantur, adducere, vel non curant, ut plures ex plebe; vel non putant satis dignum, ut qui in aliquo sunt numero, et more nobilium degunt, caussantes se domi habere, qui eos instruant: perinde ac plebeium sit ad parochum sisti in Ecclesia! — In id toto animo, cooperatores mei carissimi, incumbite, ut facitis.

VIII.

Vosne mihi insalutatos missos faciam, optimi iuvenes, qui in spem ecclesiae et civitatis succrescitis in sacro Seminario? Non adeo sum immemor, et inurbanus. Nonne istuc olim filios amantissimos, dociles, solertes, bonis artibus intentos sortitus sum, quorum nonnulli ex eo ipso tempore adhuc in disciplina manent, et quos cum gaudio revisam? Nonne in munere instituendae moderandaeque familiae tironum, adiutoribus praestantissimis usus sum, quos omnes recipere, et antiquam cum carissimis renovare consuetudinem gestio? Salvete plurimum moderatores et doctores

istiusmet probatissimi Seminarii cum auditoribus universis! Incumbite, ut assolet et oportet, toto pectore in id ministerium, quo nil maius nil sanctius; quum istud sit quodammodo continuatio et quasi complementum operis Conditoris summi, qui ita comparavit naturam nostram, ut recta institutione et educatione perficeretur; quae sibi ipsi relicta, vel prave imbuta, ita deterior fieret, ut interdum inferius ipsis brutis animalibus residat. Quod hodie adeo factis revincitur, ut nullo unquam tempore evidentius. « Sunt enim (ut verbis Titi Livii utar) qui speciem hominis habeant, et moribus ritibusque efferatiores sint, quam rapacissimae belluae. *(Lib. XXXIV.)* Fedifragi cum Deo et hominibus bella gerunt *(Lib. X.)*: quos nec lex nec pudor coercet *(Lib. IX.)*; et nihil praeterquam loqui, et ipsum maledice et maligne dicerunt *(Lib. XLV.)* ». Et ehu! illuc praeceps abripitur misera juventus ab iniquitate temporum! quae tempora gravida ruinis, quas omnes praesentiunt et horrent, tamen nihil adhuc docuere, nulli unquam, quorum pluris interesse deberet, persuadere potuerunt, institutionem puerorum iterum fieri debere christianam, quam permagni instauratores nostri pessum dedere in omnem profanitatem: idque scilicet eo proventu, quo fruimur, eoque laetiori uberiorique quem (ni Deus avertat) speramus! Quod si angulus adhuc restat, ubi perfugium habeat christiana educatio, ille omni cura sepiendus et sedulo colendus, ut inde gignatur copia fructuum saluberrimorum, in bonum ecclesiae et reipublicae. Tale est operis vestri pensum, egregii disciplinarum magistri, correctoresque morum: quos precor hortorque, ne animum despondeatis, videntes in summam invidiam hodie adduci vestram institutionem; omni et auctoritate et adiumento expoliari, ut sic imminuta tandem aboleatur; vestrum desudatum opus, vix e manibus demissum, corrumpi a circumfusis undique voluptatibus, a quibus maius est adolescenti periculum (ut ait

ille antiquus), quam ab hostibus armatis (T. Liv. *Lib. XXX*); vestros denique labores misero pane rependi, cum magnae mercedes circum undique dissipentur. Sed *merces vestra magna nimis,* Deus. *Qui enim ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae fulgebunt in perpetuas aeternitates* (Dan. xii, 3). Hanc itaque strenuam operam navate sicut facitis, ut probos aptosque cives reipublicae, sanctos doctosque sacerdotes dono detis Ecclesiae. Educatio cleri, haec tandem praecipua pars est muneris vestri. Cujus educationis duo potiora sunt capita, pietas et scientia; in quibus non pauca universim desiderantur. Scientia enim impar est temporibus, et comparata cum magnis incrementis, quae hac nostra memoria accepit ab iis, quibus olim clerus dux fuit et magister, satis jejuna videtur. Nam qui nominantur in clero viri doctissimi in omni disciplinarum genere, longe abest ut repraesentent intellectualem cleri conditionem, quae ab illis argui omnino non potest. Tamen si ita sese res habent, non ex omni parte culpandus clerus, cui semper, et potissimum hac nostra miserrima aetate, adnisum est, ut omnes nervi abrumperentur, ne assurgeret. Non desunt ingenia, at desunt certe adaequata adiumenta, quibus expoliatur in dies, et sine quibus voluntas quoque prosternitur. Sed non in vobis, spero equidem, bona voluntas jacet, optimi juvenes. Quae parata sunt hic vobis, si intento animo iis utamini, satis esse possunt intellectui vestro non mediocriter ditando. Maiora quoque, nisi illabatur orbis, parari posse confidimus. Qui vero studiorum vestrorum duces sunt, praestantissimi omnes. Quid ergo reliqui est, nisi ut fortiter constanterque velitis, ingenium bonis quibuscumque artibus ornare, animum vero piis modestisque moribus induere, ne prophanos hauriat spiritus: vestraque demum sapientia non ea sit, quam spiritus Sanctus *terrenam, animalem, diabolicam* damnat, sed ea quae *deswrsum est pudica, pacifica, modesta, bonis consentiens,*

plena misericordia, et fructibus bonis? (*Epist. Cath.* S. Iacob. iii. 15. 16.).

IX.

Idipsum clero universo vehementer commendamus. Iam enim tempus est ut sapientia et virtute assurgamus; *depositum* nobis concreditum coelestis doctrinae non otiose servemus; indeque large hauriamus salutem, quam, volens nolens, vel serius ocius, a nobis reposcet saeculum, abalienatum a Deo, quod proinde *agitatione agitatur ut ebrius:* quoniam *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis* (Isaias xix, 14). — Ecquid, si interea torquemur, divexamur pessime? Ecquid, » si callidi homines semper aliquam juris speciem fraudi imponunt (T. Liv. ix)? » — Quidnam, fratres, ad haec respondere possumus? Recogitemus corde, quod sanctus Cyprianus his gravissimis verbis, quae hodie vel maxime ad rem faciunt, animadvertit: » Dominus probari familiam suam voluit: et quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, et pene dixerim, dormientem, censura coelestis erexit: cumque nos peccatis nostris amplius pati meremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut omne quod gestum est, exploratio potius, quam persecutio videretur ». Qua in exploratione quam pauci defecere! Inter summos ovium Pastores, ne unus quidem, Deo juvante! Et in ipsa defectione, quam pauci caecutiendo persistunt! quam pauci, nescio qua mala formidine, vel quo iniquo fenore correpti, inter Christum et, rerum potentes, antichristos, adhuc ambigere videntur! Sed acrior forsan, quae formidolose persentiscitur, exploratio, hos quoque (quod faxit Deus!) expergiscet. Tamen hoc vere dici potest: Omnes unum sumus, ea firmissima Petra solidati, quae tantum

abest ut corruat, ut ne hilum quidem unquam nutare visa sit. Caeterum, quod nunc pessime excipimur, audiendus Zephirinus summus pontifex, qui in persecutione quinta Episcopos Aegypti his verbis solabatur: » Omnes qui in Christo volunt pie vivere, necesse est ut ab impiis et dissimilibus patiantur opprobria, et despiciantur tanquam stulti et insani, ut meliores et purgatiores efficiantur, qui bona temporalia perdunt, ut percipiant aeterna. Eorum vero despectio et irrisio in ipsos retorquebitur, qui eos affligunt et contumeliis afficiunt, cum et abundantia eorum in egestatem, et superbia transierit in confusionem ».

X.

Iam vero animus noster in charitate Christi ad vos panditur, Virgines Deo devotae, quas ipse Deus homo Christus Iesus *sibi desponsavit in fide, et in iustitia et in iudicio et in misericordia et in miserationibus, in sempiternum* (Osee, ii, 19. 20). Ea enim vota nuncupastis, quorum religio numquam impune violari poterit. Quare mundus qui *totus in maligno positus est*, et quem forti animo missum fecistis, ignorans qua virtute cor vestrum motum fuerit et sustentetur, vimque item ignorans istiusmet vestri sacrificii, quod a crucis sacrificio propius et perfectius est afflatum, et quanta suavitate et gratia animos ita comparatos perfundat; palam dictitat, vos misere obnoxias fuisse nescio quibus praestigiis et illusionibus, seu imaginationis, seu muliebris ingenii, seu educationis, quae vos illuc obtruserint, unde frustra torquemini non posse pedem referre. Quis pro indubitato habere non debuisset, vos, vixdum per leges patuere vobis postes claustri, paratas esse ab odiosis repagulis prosilire? Equidem non solum arridebat libertas,

verum etiam egestas quae claustra insederat, urgebat. Et tamen quaenam, non hic solum, sed vel in toto agro Ecclesiae, melius re quam verbis, illud Davidis non est professa? *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Et in domo Dei, in virginali thalamo coelestis Sponsi psallentes cum gaudio, vosmet offertis in holocaustum Domino pro peccatis hujus mundi, qui vos odit. Pergite, hostiae secretae, in populi salutem.

XI.

Teque universum, Populc senensis, compello, et vos potissimum qui rebus populi gerundis praeficimini, incliti Magistratus, quorum in tutela sunt, non rationes tantum, sed et institutiones, quarum maiores vestri bono publico, praesertim religionis et morum, auctores fuere, quosque novarum rerum studium vel subruit, vel pervertit. Eae sunt enim quae indolem et quasi faciem populi referunt, et in quas si quid audeas, naturae quodammodo vim inferes; quod non impune succederet, nisi nova arte, vetera et bona, prae recens inventis, prius dicteriis et irrisionibus inspergerentur, dein insectarentur odio: sicque sensus publicus corrumpitur, ut sinat susque deque omnia verti. Vestrum est (dum in id, quod vere melius, vos progredi est aequum) sarta tecta tueri optima quaeque majorum vestrorum, quae iam suffragia temporis tulere, et quorum effectus, et in ingenio populi, et in eius publica vita pulchre ostendebantur.

Vosque eminentiores in populo, seu nobilitate generis, seu copia divitiarum, benigne sine supercilio verba salutationis Pastoris vestri excipere dignamini. Tempora vel parum vel nil tribuunt generi: plurimum vero divitiis, quae vel avitae vel subitariae, si indigne affluant, aut indigno, multum

dedecoris, nil omnino afferunt nobilitatis. At quamvis caetera deficiant, nobilitas virtute parta nullo unquam tempore poterit aboleri. Quid enim prodest longo sanguine censeri, haereditariis honoribus cumulari, prostantibus signis dignitatis efferri, si mens animusque desint, intelligendo praestandoque quod pulchrum, quod decorum, quod rectum, quod maxime in omni genere virtutis laudabile et expetendum? Vera nobilitate fulget, non qui fumosa diplomata jactat, sed qui cor beneficum, humanum, misericors, pium habet, altum sine elatione, humile sine abiectione, liberale sine dispersione: quamvis Deus benignissimus *dispersit, dedit pauperibus (Psal. CXI, 8). Audite me, magnates*, inquit Sapiens: et deinde eorum unumquemque sic monet: *In omnibus operibus tuis praecellens esto: ne dederis maculam in gloria tua. (Eccl. XXXIII, 23.)* Hoc sibi alte imbibit Provenzanus ille Salvani, inter senenses magnates nobilissimus, cuius memoria vigebit, donec nomen non pereat Dantis Alighierii, qui eam carminibus poematis sacri commendavit. Nescimus enim utrum praeclarior ille fuerit; an rebus gestis domi forisque, in pace et in bello, an cum pro amico in libertatem vindicando e manibus Caroli regis, supplex quasi mendicus in maxima senensi platea eleemosinas corrogare non erubuit *(Purg. C. XI)*. O magnanimum exemplum!

Divites vero memoria teneant quae his verbis monet Chrysostomus: « Non mala res divitiae, sed mala cupiditas: aliud avarus, et aliud dives. Avarus non est dives, quippe multis indiget. Avarus custos est, non dominus pecuniarum; servus non possessor.... Dives est, non qui multa possidet, sed qui multa largitur *(Homil. II)* ». Non alio enim nomine aestimabiles divitiae, quam quod multos valeant sublevare miseros, multa perficere decora et utilia reipublicae.

Pauperes autem quorum Christus Iesus dignatus est

personam gerere, praecipuo amore complector. Sed meminerint, quaeso, solam Christo dignam esse paupertatem inculpatam, non invidam, non querulam, non otiosam, non dissipatam, non vitiis sicut pannis obsitam. Quae huiusmodi est, omni prorsus veneratione est digna, quoniam Christus beatam praedicavit, sibi sponsam elegit, secum in cruce comitem optavit, et in eius complexu de cruce animam amantissimam efflavit. Divitibus autem vae tremendum intonuit, perdifficilem salutis viam comminatus est, societatem, aut saltem familiaritatem cum eis nunquam instituit, non equidem quasi in eorum salutem non venerit, sed quia facillimo divitiarum abusu, salutis viam quam eis aperuit saepissime sibi obstruunt: adeo apud Deum praestant divitibus pauperes ! Quid ergo invidia macerantur? Quid suam ipsi sortem dolent? Cur se miserrimos inclamant? Miseros culpa facit eos saepe, non paupertas. Quod si nulla illos conscientia scelerum vexet; si frugi esse, si personam agere Christi patientis et pauperrimi sciant, num adeo iniucunda adeo tristis eorum erit vita? Numquid veritatem illius divini oraculi non experientur? *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena divitiis cum jurgio (Prov. XVIII, 1):* pravae nempe conscientiae iurgium, quo lacerantur saepe beatiores hujus saeculi, quos judicabitis quum saeculum delebitur, ô mihi carissimi. Eritis enim quasi scalae, quibus divites, vel in superna conscendent, si vos in tuguriolis vestris inviserint, si victu vestituque juverint, si *quod illis superest* vobis largiti fuerint: vel in inferna descendent, si sibi solis, suisque voluptatibus vixerint. Non diversa sunt natura dives et pauper: *utriusque* enim *operator est Dominus:* et in hoc mundo *obviaverunt sibi (Prov. XVII, 2),* non ut contrariis contraria, sed ut quae mutua ope indigeant, et se invicem perficiant. « Dives propter pauperem factus est (ait Augustinus) et pauper propter

divitem *(Serm. 25)* ». Sunt hi vitis et ulmus, pulchra ait similitudine Hermas in *Pastore:* « Vitis fructifera est, ulmus autem lignum sine fructu est; sed vitis nisi applicata fuerit ulmo, non potest fructum multum facere.... Sed super ulmum suspensa, et pro se et pro ulmo fructum gignit. Ulmus ergo non minorem, sed maiorem potius fructum largitur quam vitis *(Simil. II)* ». Uterque ergo in officio maneat, et beatus erit.

Universo denique populo haec penitus in animis recondenda Magni Basilii verba proponimus: « Quales esse christianos decet? Tamquam Christi discipulos, qui ad ea tantummodo se conforment, quae in ipso videant, vel audiant ab ipso. Tamquam oves Christi, qui solam audiant vocem Pastoris sui, et ipsum sequantur. Tamquam palmites Christi in ipso radicatos, et ipsi fructum ferentes, et omnia quae illo digna sunt, et ipsius voluntati consentanea facientes et habentes, et iis repletos solum, quae ad Dei cultum pertinent. Tamquam filios Dei formatos ad imaginem Dei, secundum mensuram, quae donata est hominibus. Quid proprium christianorum? Eiusmodi dilectio inter illos, cujusmodi fuit, qua dilexit nos Christus *(Reg. 82)* ».

Quid plura? Si vobis maxime cordi est, fratres et filii carissimi, vestra non temporanea, non finibus naturae conclusa et terminata, sed supernaturalis et aeterna salus, Christum ducem, quo modo audistis, sequimini. *Non est enim aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri* ». Quod eo magis vobis commendatum volumus, quo ferocius et scelestius in eum commovetur bellum. Illi fel et acetum iterantur, et haec quidem ei amarissima et acerrima, quam quae maxime unquam fuere. Ab eo diversa discedunt via quotquot sunt impiorum factiones; quae sibi invicem infensae, in hoc perfecte con-

veniunt, ut eorum unaquaeque a propria, ut ita dicam, statione, in unum Christum uno impetu convertatur. O qui fideles Christo vultis haberi, et esse, iam tempus est vosmet conglobandi, cöeundique in unum ad vexillum Christi, ut adversariorum gladii in Christum districti tandem retundantur. Quomodonam? Non eo certe modo, quo maiores vestri, a voce sacrorum antistitum commoti sunt ad arma in Turcas, ut captivum Christi sepulchrum e manibus sacrilegis eriperetur. Arma nostra et scutum in Turcas nostrates non alia esse debent, quam apertissime et animose Christum profiteri; quam opera quaeque excitare aptiora religioni promovendae, rebusque catholicis adiutandis; quam Ecclesiam Christi tueri, tum legibus illius obtemperando, tum propugnando (quo cuique datur modo) eius doctrinam, tum denique cultum eius sanctissimum adamando. *Apprehende arma et scutum, et exurge in adiutorium mihi (Psalm. 34, 2).* En quae sibi adprecatur Ecclesia; quaeque Ecclesiae caput visibile Pius Magnus exposcit: qui manus oculosque in coelum intendens, *Domine quando respicies?* e medio pectore exclamat. — At quid? Numnam ipse non respicit clementissimus Dominus? Undenam, quaeso, tot non peritura tuae virtutis, Pater invicte, relata tropaea? Undenam nomen catholicum longe lateque a Te prolatum? tot ecclesiae vel in dissitis a cursu solis regionibus fundatae? tot incliti christiani heröes coelitum honoribus aucti? et sanctissimae Virginis Deiparae impollutus a prima origine conceptus tanto consensu et gaudio catholici orbis, tanta sacrorum antistitum frequentia declaratus? et princeps apostolorum saeculari celebritate, iterum toto pene ordine Episcoporum ad tuos pedes affluente, honestatus? et illa una gloria quae adhuc Tibi deerat, sacrosancta Vaticana Synodus oecumenica felici ausu, et incredibili munificentia inter septingentos Patres habita? et maxima su-

premi pontificatus nota, nempe in rebus fidei morumque judicium certum numquam retractandum, asserta? et illud in Te studium totius catholici orbis eo ferventius flagrans, quo ferocius aestuat impiorum odium? et collata ubique gentium sacra stips eo ditior et affluentior, quo pressius praedaris, diriperis? Quid, quod unus, inter tot Petri successores, Petri pontificales annos Romae superaveris, superaturus quoque (sic nos Deus audiat!) annos Antiochiae? Quid istud pectoris robur, nullo hostili molimine frangendum, quo Ecclesiam regis, tutaris, eique adesse non cessas, quacumque prematur necessitate? Admirandum sane tot per id temporis creasse episcopos in tanta rerum angustia: sed maxime mirandum eorum angustis rebus ex aerario potentissimae tuae paupertatis consuluisse. Respicit utique Deus! Dei virtus heic est! Deus, qui te his verbis constituisse videtur: *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum, super omnem terram, regibus Juda, principibus eius, et sacerdotibus, et populo terrae. Et bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ut liberem te.* (Jerem. I, 18, 19).

Ita est, fratres et filii carissimi, ita est. Sed non ideo, freti divinis promissis, remissiores esse debemus ad Dominum exorandum ut *cito anticipent nos misericordiae eius, quia pauperes facti sumus nimis (Psalm. LXXVIII).* Deprecamini omnibus precibus pro male divexato Pontifice et Patre nostro amantissimo, rerum potentem Virginem Deiparam, ab ipso auctam novo honore, a vobis autem ut patronam dulcissimam antiquitus in votis vocatam. Agedum! qualis perhiberis talem temet ostendas, *Sena vetus, civitas Virginis*! Deprecatores quoque adhibeatis pro ipso vestros quos adeo colitis Bernardinum et Catharinam, eosdemque cum Virgine Maria et pro me miserrimo adprecamini, ne

sub tanto onere deficiam. Bene valeatis, dilectissimi. *Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens vobis, quod placet coram se per Jesum Christum (Hebr. XIII, 20).*

Datum Pistorii VI. id. dec. an. a rep. sal. 1871.
qui dies solemnis est Magnae Virgini Deiparae
sine labe originali conceptae.

✠ ENRICUS
ARCHIEPISCOPUS SENENSIS

P. IOSEPH BUSCIONI
Secretarius